

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica oculi

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

dominetur. Sed hæ coronæ non adeo constantes sunt, Deus enim facile vanam, vanam, vanam facere potest, ejusmodi coronam, Ezech. 21. v. 27. juxta illud Siracidis: Rex hodie est, & cras morietur, c. 10. v. 12.

Imo terrenæ hæ coronæ sæpe plus molestiæ quam voluptatis afferunt.

Memorable est, quod in Comitibus Angustanis, Anno 1530. accidit. Cum enim Imperatori Carolo V. Germani nonnulli Principes homagium præstarent, ille sub cælo quodam, in hunc finem adornato, ornato Cæsareo sedebat, Coronam Imperatoream in capite gestans cum autem post nonnullos actus absolutos quidam alii adhuc absolventi restarent, molestia coronæ Imperator affectus jussit demittere. Hoc post deliberationem factam fecerunt t, Electores, Moguntinus, & Palatinus, tradentes Regi Ferdinando aliquantisper tenendam. Sed hic quoque tædio ejus captus, dedit eam

Baronide Limburg, qui postquam aliquamdiu eam in manu tenuit, pari ejus molestia affectus est.

Ita comparatum est, cum terrenis coronis; sed cælestis gloriæ corona, est immarcescibilis, 1. Petr. 5. v. 4. Hæc redimitus fulgebit ut sol, in regno Patris, Matth. 13. v. 43. Est corona vitæ, Apoc. 2. v. 10. hanc qui gestat, non lædetur à morte secunda, Apoc. 2. v. 11. Est corona perfectæ sapientiæ Sir. 6. v. ult. hanc qui habet, plenus erit cognitionis Dei, eumque videbit sicuti est, 1. Joh. 3. v. 2. & à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12. Est corona justitiæ, 2. Tim. 4. v. 8. hæc insignitus, nulla afficietur injuria, nihilque injusti unquam patrabit, sed veniet in tabernaculum justorum, ubi justitia habitat, 2. Pet. 3. v. 13. Rom. 14. v. 17. Id quod largiatur nobis Deus ex gratia per filium suum Jesum Christum, Dominum & Redemptorem nostrum, in Spiritu Sancto, Amen.

Dominica Oculi.

Evangelium Luc. 11. v. 14. -- 29.

EXORDIUM.

Cum Saulus Rex Israelitarum, voci Dei minus auscultasset, Spiritus Dei recessit ab illo, & exagitavit eum Spiritus malus à Domino. Unde suavis servorum suorum queri jus sit hominem, scientem psallere cithara, adductusque est David ad Saulum: quandoque igitur spiritus malus veniebat super Saulem, tum David tollebat citharam, & ludebat manu sua, & refocillabatur Saul,

& bene habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus. 1. Sam. 16. v. 15. seqq.

Hæc Historia egregium typum continet, hominibus Evangelii.

Quod enim David respectu Saulis cithara sua effecit: Idem filius Davidis Servator noster piensissimus multifariam in diebus carnis suæ præstitit, per verbum vivum & potentissimum, quod ex ore ejus egressum est; cujus plurima exempla habemus, in

R 3 No-

Novo testamento, in primis in prælecto Evangelio, ubi nobis miseræ speculum proponitur, in homine obfesso, quem diabolus ita perdidit, ut surdus, mutus, & ut Matthæus addit, c. 12. v. 22. cæcus esset. Sed Christus Servator expellit diabolum per digitum Dei, & restituit hunc hominem, ut sensibus suis uti potuerit, quos satanæ trulentia corruerat.

David delincatur, quod fuerit fortissimus robore, vir bellicosus, & intelligens rem, vir pulcher. & Dominus cum eo, Pl. 18. Hæc omnia in Christo in gradu excellentiori reperiuntur, est enim Dominus fortis, & heros, Dominus heros in prælio. Psalm. 24. v. 8.

David leonem & ursum percussit, & ovem ex ore eorum liberavit, 1. Sam. 17. v. 35. Christus diabolum, qui circum, velut le rugiens invasit, 1. Petr. 5. v. 8. eumque non modo sæpe expulit, ubi quem expresserat, Act. 10. v. 38. sed arma quoque ejus abstulit, in quibus confidebat, ut ipse testatur in Evangelio. Ut nos quoque metu ejus soluti simus, si victoriam ejus, per passionem, mortem, resurrectionem & ascensionem nobis partam, vera fide apprehendamus, omnia enim possumus, in eo, qui nos confortat, Christo. Phil. 4. v. 13.

David intelligens erat in omnibus rebus: Christus similiter, Col. 2. v. 3. Psalm. 147. v. 5.

David erat pulcher: Sic & Christus. Psalm. 45. v. 3.

Cum Davide erat Dominus: In Christo nota plenitudo divinitatis habitat σωματικῶς, & corporaliter. Col. 2. v. 9.

Agnoscamus proinde Christum, ut Prophetam illum, quem Deus per Moysen mittere promissit, Deut. 18. v. 15. qui cum in fi-

nem in mundum venit, ἵνα λύσῃ ut dissolvat opera diaboli. 1. Joh. 3. v. 8.

Sicut autem David malam mercedem reportavit: Saulus enim lancea missa, percussurus erat eum, & confixurus cum pariete: Sic etiam Servator noster, ob præclarum in obfesso patratum miraculum, varias calumnias sustinere coactus fuit, quasi commercium cum diabolo haberet, & per Beelzebub principem diabolorum ejusmodi miracula patraret. Quæ blasphemiam haud secus ac lanceæ & sagittæ cor ejus vulnerant, gladii enim fulgentes sunt filii hominum, dentes eorum hastæ & sagittæ: & lingua eorum, gladius acutus. Psalm. 57. v. 5.

Sed ad ipsum Evangelium nos accingamus, tractaturi ex illo:

- I. Ἀνθρωπολογίαν, sive noticiam nostri.
- II. Χριστολογία, sive noticiam Christi.

J. J.

Exegesis.

Sicut Christus suos aquilis comparat, Mat. 24. v. 28. quæ acie oculorum pollent, Job. 39. v. 32. Ita hodierna Dominica Oculi, indigemus oculis aquilinis, quo caute ambulemus, Eph. 5. v. 15. & generis humani hostem hæreditarium observare possimus, ne nos infestet, spiritualiter, aut corporaliter. Ita enim μεθοδεύειν suas occultare callet; ut non ante animadvertamus eas, quam nos in retia sua pertraxerit, unde vocatur serpens directus, & serpens tortuosus, Eccl. 27. v. 1.

Utriusque exemplum habemus in Evangelio nostro: Corporaliter obsederat diabolus miserum illum hominem, quem surdum mutum, & cæcum reddiderat. Spiritualiter vero calumniatores Phariseos, & scribas, qui hoc miraculum Principi dæmoniorum, Beelzebub adscribunt, Christumque calumni-

lumniantur, quod commercium cum diabolo habeat, ut sponte sua ille, jussu Christi, ex obsessis migret. Hæc nefanda erat calumnia, à diabolo orta, qui quidem obsessum reliquerat, at Scribas & Phariseos spiritualiter occupaverat, ut calumniando sibi ministrarent: *mentiri enim & calumniari, & inficiari* diabolo, ejusque organis familiaria sunt, unde κατ' ἐξουσίαν τοῦ διαβόλου καὶ τῶν ἀγγέλων: ab initio ille appellatur. Joh. 8. v. 44.

Nos hinc ansam capimus, ad *notitiam nostri* perdiscendam, quando contemplamur:

I. *Diaboli obsessionem*, qua adhuc hodie homines infestat:

1. *Corporaliter*, quando permissu Dei homines occupat, eorumque organis ad libitum suum abutitur, ut loquantur, & quidem præter voluntatem, quod nefas est, & faciant, quod abominandum est, in quos, quasi in cloacam diabolus omnem peccatorum colluviem congerit, ut voluntatem suam inviti expedire teneantur. Talis est obsessus hic in Evangelio nostro, cui præcipuos sensus diabolus obstruxerat ut iis uti non posset. Simile exemplum habuimus ante octiduum in filia mulieris Cananæ. Vide plura obsessorum exempla, Matt. 8. v. 28. Marc. 5. 4. Marc. 9. 21. Luc. 8. v. 2. 29. ex quibus truculentia satanæ satis apparet; ideoque non securi esse debemus, sed vigilare & orare, ne in tentationem incidamus. Mat. 26. v. 41.

2. *Spiritualiter*, quod hodie maxime familiare & frequens est. Corporaliter obsessorum exempla non adeo multa occurrunt ut in primitiva Ecclesia, hoc non inde est, ac si diabolus melior factus esset, contrarium enim apparet ex Apoc. 12. v. 12. Nec inde, quasi homines non adeo mali sint, ac olim fuerunt: quo enim magis mundi finis ap-

propinquat, eo nequiores evadunt, juxta illud, 2. Tim. 3. v. 2. Sed vera causa est, quia diabolus animadvertit, se plus efficere, quando homines spiritualiter, quam si corporaliter eos obsideat. Plerumque enim corporalis obsessio permittitur à Deo, in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit, in die Domini Jesu, 1. Cor. 5. 5. Quin regnum satanæ hoc ipso quasi imminuitur; quod si enim alii ejusmodi miseræ speculum intuentur, prohibentur, ne nimium extollantur, 2. Cor. 12. v. 8. imo, dum truculentiam satanæ agnoscunt, hoc ipso, ad ipsi diligentius resistendum excitantur. Jacob. 4. 7. 1. Petr. 5. v. 5.

Hic probate, mi Christiane, utrum, te inficio, fortassis à diabolo obsessus sis?

Diabolus habet regnum valde abstrusum, ut multi ejus subditi sint qui se Dei filios arbitrantur: & contra multi sint filii Dei, qui ob tentationes pro obsessis habentur. Propterea accurato hic judicio opus est, ne salamur, ut incolæ Insulæ Melitæ, Act. 28, 3. 6.

Præcipua obsessorum indicia sunt

1. *In consuetudine linguarum peritia*, quale exemplum Philippus Melancthon recenset, de muliere, quæ literas nescierit, expedite tamen Græce & Latine locuta fuerit, quod procul dubio diaboli opera factum, qui ex obsessis loquitur. Matth. 8. v. 28.

2. *Notata locutionis differentia*, qua vox diaboli & ocelli discerni potest, ut rixam quasi observare possis, quale exemplum Simon Pauli refert.

3. *Rerum mirabilium & abstrusarum notitia*, quæ deprehensa in puella spiritum Pythonem habente, Act. 16. v. 16.

Interdum diabolus obsessis se conspiciendum præbet specie alicujus animalis vel insecti, apparens ut cuculus, corvus, canis, caper, vel ut aranea, musca, fucus &c.

Im-

Imprimis hoc diligenter observandum venit, an ejusmodi homines ad preces instigati, faciles sint, aut vi adigi debeant.

Ex quo satis apparet, non omnes eos, pro obsessis habendos, qui à Melancholia graviore infestati, adeo sæpe sæviunt, ut catenis constringendi illi sint. Affectus splenicus idem efficere potest, ut in multis expertum, qui tamen tandem per Deigratiam, alloquio verbi divini assiduo, & Ecclesie publica intercessione restituti sunt.

Interea deplorandum est, spiritualem diaboli obsessionem hodie eo magis invaluisse, ut multi à diabolo avaritiæ, ut Judas, Matth. 26. v. 15. aut diabolo scortationis ut David, 2. Sam. 11. v. 4. aut diabolo ebrietatis, ut Jabel, 2. Reg. 9. v. 30. aut alio modo seducantur. Huic linguam constringit, ut mutus sic loqui justitiam, Psalm. 57. v. 2. illi oculos, ut in tenebris ambulet, & palpet, sicut cæci parietem, Esa. 59. v. 10. Isti aures, ut nolit audire verbum Dei, Jer. 6. v. 10.

Cum hisce homuncionibus multo periculosius se res habet, quam cum corporaliter obsessis: hi enim sciunt se obsessos esse, illi minus, sed diabolus ducit eos de iniquitate ad iniquitatem, Rom. 6. v. 19. usque dum in lacum sulphuris & ignis præcipitet, Act. 21. v. 8. Propterea assiduis precibus muniamus, iisque resistamus diabolo, Eph. 6. v. 18. Assidue quoque ad audiendum verbum Dei, in templum nos conferamus, ut in speculo hoc nos conspiciamus, & quod Christianos minus decet, in tempore abrogemus, & in novitate vitæ ambulemus, Rom. 6. v. 4. quo sic agamus, quæ Deo placeant, & cum Ecclesia oremus:

Protektor alme Ecclesie
Opem fer omni tempore:
Cunctis malis nos libera,
Per sanctiora vulnera.

Beschirmer Herr der Christenheit/
Dein Hulf allzeit sey uns bereit:
Hilf uns Herr Gott aus aller Noth/
Durch dein heilig fünf Wunden roth.

II. *Diaboli ejectionem.* Cum enim obsessus Christo adduceretur, misericordia ejus affectus, expellit diabolus: propterea stupebant omnes turbæ & dicebant: Nunquid hic est filius David? Pharisei autem audientes dixerunt: Hic non ejicit demones, nisi in Beelzebub, principe demoniorum. Matth. 12. v. seqq.

Hoc Christus ex propria potestate fecit: Apostoli vero in nomine ejus, ut ipsi fatentur, Luc. 10. v. 17. sicut & Paulus in ejusdem nomine spiritum Pythonem ex ancilla Philippis expulit, Act. 16. v. 16.

In Papatu variis Ceremoniis, utpote, aqua, sale, cereis consecratis, & id generis aliis superstitiosis rebus utuntur ad diabolos expellendos, sed tenui cum successu: hoc enim genus demoniorum non ejicitur, nisi precatione & jejunio, ut Christus ipse ait, Matth. 17. v. 21.

Quid Exorcistis tempore Pauli contigerit, luculenter recensetur, Act. 19. v. 13. & seqq.

Sic mirum non foret, si adhuc hodie diabolus temerariis illis Exorcistis similem persolveret mercedem: sed ille valde astutus est, und läßt sich manchmal austreiben / verba sunt Lutheri: Wann er wil / auch von einem bösen Buben / unter diesen bleibt er doch unausgetrieben / sondern bestrickt eben damit die Leute desto stärker mit Abgöt-

götterey und Aberglauben / daß sie unbedachtſamer Weiſe hinein plumpen / und ſprechen: Obie wohnet Gott / da ſiehet und greiſt man die Wunder und Zeichen / dann ſie können das nicht faſſen / daß es der Teufel eben darum thut / die Leute zu betriegen und zu verſuchen / dencken auch nicht / daß uns Chriſtus ſolches alles zuvor geſagt / und gar treulich dafür gewarnt hat. Haftenus Lutherus.

Hæc reapse ita ſe habent. Ideo cum aliquando Monachi multi, in ſplendida, ut vocant, proceſſione vexillis, cereis & hymnis obſeſtum accederent, diabolus expulſuri: Diabolus ſonora voce exclamabat: O popule meus, quid feci tibi?

Hic examina te, mi Chriſtiane! utrum hoſce laudum ſuarum buccinatores, qui neſcio quos diabolos exterminare ſe proſitentur, admiratus ſis, eorumque ſuperſtitioſis adminiculis fidem adhiberis?

Hoc intendit diabolus, cum ad nutum horum ceſſiſſe ſe ſimulat, ut homines in ſuperſtitionem, quæ regno ſuo amplificando inſervit, abducere poſſit. Sed Auguſt. Confuſio talia media neſcit, in ſcriptura quoque neq; mandatum, neq; promiſſio invenitur, quibus niti hac in parte queamus. Sed quod in primitiva Eccleſia factum, id ad dona miraculoſa pertinet, quæ nunc in Eccleſia plantata deſierunt.

Quod ſi vero obſeſſi nobis hodie offeruntur, media illa adhibemus, quæ Chriſtus ordinavit, nempe *pœnitentiam & orationem*, quibus non paucos liberatos eſſe, multis exemplis probare poſſemus, ſi inſtituti ratio permitteret.

Sed quid multis? Nonne multi diaboli ab Evangelicis hodie expelluntur?

Multi obſeſſi ſunt diabolo avaritiæ, qui quando ex concionibus audiunt, avaros

non habere hæreditatem in regno Dei & Chriſti, Eph. 5. v. 2. per Dei gratiam liberantur, ut in poſterum non amplius in Mammona fiduciam ponant: ſed in Deo vivo, 1. Tim. 6. v. 17. quia noverunt, hoc optimum eſſe lucrum, 1. Tim. 6. v. 6.

Alii diabolo ebrietatis, calumniarum, & ſcortationis obſeſſi ſunt, qui itidem liberantur, quando audiunt quod neque ebriofis, neque ſcortatores neque maledici regnum Dei poſſeſſuri ſunt, 1. Cor. 6. v. 10. Imo eadem opera ad ſobrietatem, Rom. 13. v. ult. *ἐὺλογίαν*, Exod. 20. 7. Phil. 4. v. 8 Matth. 12. v. 36. & caſtitem reducuntur. Heb. 13. v. 4. 1. Theſſ. 4. v. 4-5.

Et hoc de omnibus aliis peccatis intelligendum eſt. *Quot enim quis habet vitia, tot in corde habet Dæmonia*, ut Auguſtinus ait: Quando itaque peccata per conciones pœnitentiales expelluntur, Diaboli imperium ceſſat in iis, nec opus aliis ſuperſtitiſis adminiculis eſt, niſi verbo Dei & oratione, quæ media nobis Chriſtus, & Apoſtoli commendarunt, Eph. 6. v. 17.

Mitemus itaque Exorcistas illos, & gratias Deo habemus, quod nos ab illorum jugo liberarit. Interea nos mediis à Deo præſcriptis porro utemur, inſtaurantes ſpiritu lenitatis, qui delicto aliquo occupati ſunt, Gal. 6. v. 1. Hoc rectum in conſpectu Dei eſt. Jerem. 17. v. 16.

III. *Diaboli reverſionem.* Cum enim imundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa quærens requiem, & non inveniens dicit &c.

Quæ verba de iis intelligenda ſunt, qui per pœnitentiam ſemel jugum diaboli excuſſerunt, & denuo carni frena laxant, & diabolo per peccata voluntaria morem gerunt: hi fenestram ipſi aperiunt, ut aſſumptis ſeptem nequioribus ſpiritibus revertatur,

& de iniquitate ad iniquitatem eos deducit, quò discant malum, Jer. 13. v. 22. & iniquè agendo sese fatigent, Jer. 9. v. 5.

Hic te proba, mi Christiane, utrùm & ipse post Conversionem, in anteriora peccata ex destinato proposito relapsus, diabolo septem-plici sodalicio comitato, revertendi ad te an-sam subministraveris?

Hoc à multis subindè fit, dum post confessionem & Sacrae Synaxeos usum, ubi vitam se emendaturos promiserunt, rursus post exiguum temporis intervallum ad ingenium redeunt, & sic Diabolo, ad se revertendi fores pandunt. De his rectè S. Petrus ait 2. ep. c. 2. v. 21. 22.

Domus elegans facilè habitatorem reperit: Sic & cor, Deum & verbum ejus nihili pendens, & preces negligens, peccatis prætereà contra conscientiam, sese contaminans pulchrum & commodum Satanae diverforium est, in quod ille cum gaudio divertit. Et quemadmodum militia Dux, ab hoste castello expulsus, si idem denuò occupet, multò firmioribus præfidiis custodit, quàm antea: sic & Satanas, si hominem, quem aliquamdiu relinquere coactus est, rursus invadit, assiantis septem spiritibus nequioribus, quàm ipse est, ibi habitat, & eum in perversum sensum trahit, ut frontem meretriciam acquirat, nolens amplius erubescere. Jer. 3. v. 3. sed peccata peccatis cumulet.

Hinc rectè Salomo: Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur, Prov. 5. v. 22. Quemadmodum enim restio funem ex fune nequit: Sic & impii, qui ex proposito peccant, semper funem funi jungunt, quo Satanas eosprehendit, eosque captivos tenet, ad voluntatem suam, 2. Tim. 2. v. ult. Sicuti le-

gimus de Delilâ, quod Simsonem diversis vicibus ligaverit, donec fortitudine amissâ, oculos simul amiserit, Jud. 16. v. 6. seqq. Sic constringit Diabolus hominem peccatorum laqueis, donec amissis oculis spiritualibus, peccatorum turpitudinem & iram Dei non conspiciat, & in barathrum aeternæ damnationis præcipitetur, ex quo nulla unquam redemptio. Psalm. 49. v. 15.

Quod si itaque vinculis peccatorum per Dei gratiam semel solutus fueris, per seriam pœnitentiam, cautius in posterum mercari disce, & operare salutem tuam cum timore & tremore. Phil. 2. v. 12. Ne denuò te capiat Diabolus, & ultima deteriora fiant prioribus. Attende, quid Paulus dicat, Hebr. 10. v. 26.

De Secundo.

TRansibimus nunc ad alteram partem, *ἡμετέρας*, sive nositiam Christi contemplaturi. Hic proponitur nobis in Evangelio præsentate:

I. *Tanquam Satanae exturbator.* Tanquam fortior enim supervenit Diabolo, vincit eum, & universa ejus arma abstulit, quibus ille confidebat.

Hoc Diabolus expertus est in deserto, ubi Dominum tentavit, Matth. 4. v. 1. In prædicatione Evangelii, quâ regnum ejus debilitavit, Matt. 9. v. 32. nec non in opere redemptionis, Rom. 4. v. 25. Hoc ipso adeò contritum est caput hujus fortis armati. Gen. 3. v. 15. ut ab ejus metu liberi longè vincere possimus, propter eum, qui delexit nos Rom. 8. v. 37. *Non debet timere hostem fortem, qui habet Dominum fortiozem*, ait Chrysostomus. Hòc nixi, cum Ecclesiâ canere possumus:

Nil ecce nostris viribus,

Mox ille nos prostravit:

*At ille: Vis nostra nihil subjugat, Na-
vis citò vapularunt: At*

At vir pro nobis militat,
Quem deo ordinavit.
Quis sit, quasitas?
Noltris at est a partibus,

ihova, Christus,
Nec deus alius,
Dominica Oculi.
tenebit palmam ipsas.

Quo Jova nos beavit.
Si quæris ille quis?
Christus vocatur is,

Rex gloriæ summus,
Nec alter est Deus.
Manebit hic invictus.

Mit unser Macht ist nichts gethan/
Wir sind gar bald verlohren:
Doch streit für uns der rechte Mann/
Den Gott selbst hat erkohren.
Fragst du wer er ist
Er heist Jesus Christ/
Der HËrre Zebaoth
Und ist kein ander Gott/
Das Feld muß er behalten.

Diabolo impossibile est aliquid ex nihilo creare Exod. 8. v. 18. Sed Christus *ἰχθυότης*, per hunc enim omnia facta sunt. Joh. 1. v. 3.

Diabolus non potest creaturas ampliari: Sed Christus *ἰχθυότης*. Marc. 8. v. 9. Joh. c. 6. v. 11.

Diabolus non potest creaturas transmutare: sed Christus *ἰχθυότης*, Joh. 2. 11.

Diabolus non potest mortuos resuscitare: sed Christus *ἰχθυότης*. Joh. 5. v. 25. Et siculterius

Quod si itaque Diabolus fortis est, Christus multo fortior.

Si instructus est septem vel legione auxiliariorum: Christus multo magis. Dan. 7. v. 10.

Quod si iracundus ut leo rugiens 1. Pet. 5. v. 8 Nolite timere Leo de tribu Judæ ipsum vicit. Apoc. 5. v. 5. Sine ejus permissione nihil potest porcis, Matth. 8. v. 31. nedum hominibus nocere, Matth. 10. v. 30. Ideo huic domino confisi, dicite: Oculi mei semper ad dominum Ps 25 v 15 Et sciet suos tentationibus eripere, 2 Petr. 1. v. 9. Et poterit

quoque, quia nihil apud eum impossibile. Luc. 1. v. 39.

II. *Tanquam Calumniatorum refutator.*
Quia enim Pharisei & Scribæ hoc miraculum calumniabantur, ac si Satanæ ope & virtute factum esset, ideò Christus nervosâ Apologiâ setuetur, & demonstrat, quod non opera Satanæ, sed per digitum Dei illud patraverit.

Sic & nobis permissum est, malignorum calumnias refellere, sed modestè, ne reddamus malum pro malo, nec maledictum pro maledicto 1. Pet. 3. v. 9. Melius enim est nomen bonum, quam divitiarum multarum. Prov. 12. v. 1. Ut igitur Naboth resistebat Regi Achab, vineam sibi erepturo, 1. Reg. 21. v. 1. Sic & nos famam pro virili tueri debemus, cætera deo commendemus, qui innocentiam nostram in apricum producet *dañ er richt/ wass niemand spricht* / uti in Christo videmus, qui ut maleficus morti tradebatur, sed cælum & terra, deus & homines de ejus innocentia testabantur Matt 27, 54. Marc. 15. v. 39.

Quis hodiè dubitat de innocentia Josephi? Gen. 39, 17. danielis, dan. 6, 15, 16. Stephanii Act. 7, 57. Hos enim adeò vindicavit deus, ut in hodiernum usq; diem de eâ in Ecclesiâ prædicetur.

Quod si itaq; bonâ conscientia gaudes, frui hoc solatio potes, & cum Davide orare: Judica me domine, quoniam in innocentia meâ ingressus sum, Ps. 26. v. 1. & Ps. 43. v. 1.

Sed cave sis, ne & tu inter Calumniatores inveniaris. Vir enim linguosus non dirigitur in terrâ, Ps 140, 12. Et sicut cœlestis sapientia hinc se Scribis & Phariseis opponit, & calumnias eorum redarguit: sic adhuc hodiè spiritus sapientiarum, non liberabit maledictum à labiis suis. Sap. 1. v. 16.

III. *Tanquam verè piorum beatificator.*

Muliercula enim præsens, Apologiz Christi nervositate mota, profunda voce exclamat: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti.

Alias dicitur: Mulier taceat in Ecclesia, 1. Cor. 14. v. 34. Sed idem hic mulierculæ huic evenit, quod Monica, matri Augustini, quæ sacra cœna utens, præ animi pia devotione exclamavit: *Evolemus in cœlum, quia Deus cœli habitat in nobis.* Quamvis itaque hoc non improbemus, sed devotioni piæ condonemus: sic in eo errat, quod laudem qua filium ornare debebat, matri attribuit, quod melius observavit Elisabetha, Luc. 1. v. 45.

Ideoque interpellat ipsum Christum, dicens: Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Duo hic Christus requirit ab omnibus Christianis:

1. *Ut verbum Dei audiant.* Doctores enim & Auditores sunt correlata: quia itaque Deus verbum suum prædicari sinit, ideo id facit, ut illud sedulo audire debeamus, secus enim frustra illud prædicatur. Fides enim ex auditu est, Rom. 10. v. 17. Quod si itaque Spiritus Sanctus fidem operari debeat, non aures obturandæ sunt, sed potius cum Samuele dicendum: Loquere Domine, servus tuus attendit. 1. Sam. 3. v. 9.

2. *Ut verbum Dei custodiant.* Hoc præcipuum est, ne diabolus semen verbi vicissim auferat. Matth. 13. v. 19.


Quid prodest homini cibus, nisi concoquatur, est enim indicium male affecti stomachi: qui nisi in tempore curetur, indubius mortis antesignanus est:

Sic nihil prodest verbum audire, nisi custodiatur, & nisi hoc non fit, indubius character æternæ mortis est. Sermo enim, quem non custodierunt, iudicabit eos in novissimo die. Joh. 12. v. 48. Hic Spiritus Sancti adjutorio apprimè opus est, qui eam ob causam quoque ostiarius appellatur, Joh. 10. v. 3. Hic sedulo quoque ideo invocandus est, hunc circiter in modum:

Ich bitt ô Herr aus Herzensgrund!

Du wollt nicht von mir nehmen / &c.

Hæc ratione ad æternam salutem, quam Christus morte & sanguine suo nobis acquisivit, pertingere valemus, ubi audiemus quæ auris non audivit, & videbimus, quæ oculus non vidit, 1. Cor. 2. v. 9. nempe abundantiam gaudiorum, & delectationes in dextera Dei, in æternum, Psal. 16. v. ult. Largiatur id nobis cœlestis pater, per Jesum Christum Dominum & Salvatorem nostrum, Amen.



Dominica Lætare.

Evangelium, Johan 6. v. 1. -- 15.

EXORDIUM.

Refert Moses, quod tempore Josephi in Ægypto degentis maxima annonæ caritas invaluerit, quæ totum septennium duraverit, tanta cum vehementia, ut in toto orbe

panis defuerit: Josephus vero ex summa agrorum ubertate magnas frumenti copias ante comportaverat, quo sublevabat defectum hominum, ne fame interirent. Gen. 47. v. 13.

Hoc